

pedire, ut Conservatores omnino non eligantur.»

Hoc nobis relatum exhibitumque Decretum jam satis agnovimus quoad utramque partem Apostolicis Constitutionibus consentaneum, et congruum. Jamdudum enim prædecessores nostri Bonifacius VIII. in Constitutione quæ incipit: *Statutum*; Gregorius XV. in Constitutione quæ incipit: *Sanctissimus in Christo Pater*; et Innocentius X. in literis in forma Brevis, quæ incipiunt: *Alias a Nobis*; animadvertentes Regulares, aliosque, quibus ab Apostolica Sede generale, sive speciale privilegium concessum est, ut possint sibi Judices Conservatores eligere, sub ejusmodi privilegii prætextu Episcoporum, aliorumque Judicum ordinariam sive delegatam jurisdictionem perturbare, et electos Judices Conservatores suæ potestatis limites frequenter excedere, optimo sane consilio, dum privilegia ipsa sarta tecta esse voluerunt, certum tamen modum Judicum Conservatorum electioni, certosque fines eorumdem potestati imposuerunt, pœnis etiam adversus transgressores constitutis.

Horum igitur Summorum Pontificum Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, de consilio Congregationis particularis supra memoratæ nonnullorum S. R. E. Card., qui negotiis Propagandæ Fidei præpositi sunt, videlicet Ven. F. Nostri Josephi S. R. E. Card. Spinelli Episcopi Ostiensis, et Sacri Collegii Decani, ac dilect. fil. nostrorum S. R. E. Cardinalium Stoppani, Galli, Antonelli, et Columnæ de Sciarra; Motu proprio, ex certa scientia, et matura Nostra deliberatione, Nos in primis Constitutiones easdem Bonifacii VIII., et Gregorii XV., necnon Apostolicas Literas in forma Brevis Innocentii X., quarum tenorem hic pro inserto haberi volumus, cum singulis declarationibus in eisdem contentis innovamus et confirmamus; ac easdem Constitutiones et Apostolicas Literas plenum robur et firmitatem habere volumus et mandamus.

Præterea, quoniam in iisdem Constitutionibus cautum est, ut ii dumtaxat in Judices Conservatores eligi possint, qui Dignitatem aut Personatum in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia obtinent, Nos eisdem Constitutionibus inhærentes statuimus et declaramus: non licere quibuscumque in locis Regularibus cujuscumque Ordinis, Monasterii, vel Congregationis, Mendicantibus, vel non Mendicantibus, etiam Societatis Jesu, aliisque quantumvis expresse, et specialim nominare eos oporteat, cæterisque, quibus ab Apostolica Sede concessum est, ut Judices Conservatores sibi deligere possint, vigore cujuscumque privilegii, cui, quatenus opus sit, expresse derogamus, Præpositos Rectores, Provinciales, Definidores, Custodes, Priores, Præfectos, Vicarios, Visitatores aliosque quoscumque Superiores Regulares non perpetuos, sed temporarios proprii, vel alterius Ordinis in Judices Conservatores eligere, quos hac in parte, et ad hunc effectum in dignitate Ecclesiastica constitutos non esse, eorumdemque electionem, etiamsi fiat, ser-

vata in reliquis forma Constitutionis Gregorii XV. ipso jure irritam prorsus fore declaramus.

Tandem inhærentes alias decretis in Congregatione Generali de Propaganda Fide coram san. mem. Urbano VIII. habita die 3. Februarii anni 1640. et prospectis etiam periculis, et scandalis, quæ ex electione Judicum Conservatorum in partibus Infidelium, plerumque in animarum perniciem, et publicæ tranquillitatis, atque Ecclesiasticæ Pacis perturbationem emergunt, juxta Decretum præfatæ Congregationis auctoritate Apostolica denunciamus, Regulares, Mendicantes, et non Mendicantes, Monachos, et Clericos Regulares cujuscumque Congregationis, et Ordinis, etiam Societatis Jesu, aliosque quamvis expresse et specialim nominare eos oporteat, privilegio sibi concessio eligendi Judices Conservatores, quousque in partibus infidelium degunt, ac Sacras Missiones exercent, nullo modo expedire, *ut utantur*; sed omnes et singulos in offensionibus, et causis, quæ ipsorum Ordines, ac privilegia tangunt, ut ad nos, et ad Apostolicam Sedem recurrant ut ab hac Ecclesia Ecclesiarum omnium Matre, et Magistra, cui nihil antiquius est, quam cuique sua jura servare, rectum judicium, ac remedium præstolentur.

Decernentes præsentibus Nostras Literas, et in eis contenta quæcumque, licet Superiores quorumcumque Ordinum etiam Generales, vel Priores, itidem Generales seu Missionum, aut Missionarii ipsi, vel ab eis deputati, aut alii quicumque in præmissis ac circa præmissa interesse habentes, vel habere prætendentes ad hæc vocati, citati, vel auditi, sive causæ propter quas eadem præsentibus emanarint, sufficienter adductæ, justificatæ, et verificatæ non fuerint, semper, et perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari: sicque, et non alias per quoscumque Judices Ordinarios; vel Delegatos, quavisque auctoritate fungentes, ac etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Nuntios, ac Vicarios Apostolicos, seu Visitatores quibusvis facultatibus munitos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Sixti V. favore Ordinum Mendicantium, et Pii V. ac Gregor. XIII. incip. *In supereminenti* favore Clericorum Regularium Societatis Jesu extra Europam existentium, ac quibusvis aliis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinum, et institutorum quorumcumque etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et consuetudinibus: Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis, etiam Mare Magnum, vel alias quomodolibet nuncupatis eisdem Ordinibus, et institutis, eorumque Superioribus, et Prælatibus, ac Personis etiam

Missionariis in limine quoque, et actu primæ illorum expeditionis, ac subinde, et successive, etiam per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Sedem Apostolicam prædictam, et per Nos pariter quomodolibet concessis, confirmatis, et iteratis vicibus approbatis, et innovatis: Quibus, et aliis omnibus, quæ præsentibus quomodolibet obstare possent, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specifica, et expressa, ac individua, nec non de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorumque tenores pro plene et sufficienter præsentibus expressis, et totaliter insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse, amplissime, et plenissime, nec non opportune, et valide derogamus, et derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem præsentibus Nostræ Literæ ad omnium notitiam deducantur, neque aliquis earum ignorantiam prætereant, aut contra eas se excusare valeat; volumus, et mandamus earum exemplar Superioribus Generalibus Ordinum, Congregationum, et Institutum prædictorum, seu illorum Procuratoribus Generalibus in Urbe existentibus, e quibus Missionarii quicumque exstiterint, a dicta Congregatione de Propaganda Fide tradi debere. Quodque post traditionem hujusmodi omnes, et illos, quos concernunt, et concernent ut futurum, perinde, arctent et afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent.

Volumus etiam, quod, etc.

Nulli ergo omnino, etc.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Milleesimo Septingentesimo Sexagesimo secundo, Nono Kalendas Maii, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(32. Quod ait Auctor *num. 7.* eligi in Conservatores posse Episcopos, Archiepiscopos, etc., id hodie pacificum hand est, si existant ea in Diocesi Judices Synodales, idque quia Gregorius XV. (33. Constitutione sua incipien. *Sanctissimus*, demandavit, ut nonnisi Judices Synodales in Conservatores eligi queant. Vide S. M. Benedictum XIV., de Synod. Dioces. lib. 4, cap. 6, n. 4. (34. Deficientibus vero Judicibus Synodalibus non videtur dubitandum, quin eligi in Conservatores possint Episcopi, Archiepiscopi, etc., dummodo eligatur Episcopus in sua Diocesi. Idem Summus Pontifex, ubi supra.

ADDITIONES CASINENSES.

(33. Conservator datur a solo Papa, etiam contra Laicos, etiam sine negligentia judicis laici; et non tantum Regularibus dari potest, sed etiam miserabilibus personis. Monet de conserv. v. 4, n. 15.

(36. A cœtu Cardinalium non potest dari conservator Papa vivente, nisi ille esset

captus ab hostibus, vel alias inutilis factus. Ibidem.

(37. Nec dari potest a Legato etiam de Latere. Ibid., *num. 6.*

(38. Etiam principes sæculares possunt Ecclesiis vel Clericis conservatores dare, et ita contra Laicos et potentes tueri: *Monet. n. 37.* non tamen contra Clericos vel Ecclesias; quia Laici sunt incapaces jurisdictionis in illas. Idem, n. 42. *Bassil. c.*

(39. Certum esse videtur, a Regularibus in una Diocesi existentibus in Conservatorem eligi non posse alicuius diocesis Episcopum; ejusmodi enim electiones sæpius improbatas fuisse a sacra Congreg. Conc. testatur Monacellus, tom. 4, pag. 22, n. 222. Cumque denuo alieni Episcopi electio a Regularibus attentata fuerit eadem sacra Congregatio die 3 Aug. 1715 in *Nullius Altamura* iterum dixit, illam non sustinere. Thesaur. Resolut., t. 9, pag. 222. Bened. XIV., de Synod. Dioc. l. 4, c. 64.

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ concernunt Conservatorum officium et Jurisdictionem.

(1. Conservatorum officium est defendere eos, quibus sunt concessi, a manifestis injuriis, molestiis, et violentiis, et in propriam rerum et jurium possessionem conservare, cap. *Statuimus 1.* de offic. delegat. in 6, et cap. *Hac constitutione 15.* eod. in 6. Unde Conservatores potissimum dantur Regularibus ad tuendum eorum personas, bona, et jura, sub quibus eorumdem continentur privilegia, exemptiones, et immunitates, ut notat Glossa fin. in d. c. *Statuimus*; Pignatell. tom. 10, consult. 96, n. 8, et alii passim. (2. Hinc Conservatores defendere possunt, et debent Regulares nedum in causis, in quibus ipsi Regulares rei existunt, ut videbatur innuere d. Constitutio Gregoriana incip. *Sanctissimus* sub § 9. sed etiam in causis, in quibus Regulares actores exstiterint, si isti agendo petant, ut defendantur a manifestis injuriis, quæ de facto illis inferuntur, dum a suis possessionibus dejiciuntur, et propriis bonis frui, aut uti impediuntur, ut declaravit Sac. Cong. Conc. ad quam post dictam Gregorianam fuit habitus recursus, et propositum fuit ei sequens dubium: « An per allegata verba (id est d. Gregorianæ sub § 9.) sublata sit facultas, quam habent Conservatores defendendi Regulares, et alios a manifestis injuriis, et violentiis quæ illis de facto inferuntur, dum a suis possessionibus dejiciuntur, et propriis bonis frui, aut uti impediuntur. » Ad quod Sac. Congregat. respondit ut sequitur: « Sac. Congr. Cardinalium Conc. Trident. Interpretum censuit ejusmodi verbis minime sublata fuisse facultatem, quam habent Conservatores defendendi Regulares a manifestis injuriis, ac violentiis, dummodo observent formam præscriptam a Constit. Innocent. IV. et Bonif. VIII., relatis in c. 1. et fin. de offic. Delegat. in 6. »

Cosmus Cardinalis de Torres. loco & Sigilli.

